



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Incarnatio Mystica Sive Christiformitas

Roger, Nicolaus

[Erscheinungsort nicht ermittelt], Anno MDCLXXXIV.

Cap. V. Iesvs amabilis ob pulchritudinem.

urn:nbn:de:hbz:466:1-37940

*Ultima quando mei veniet certaminis
hora, (mus ultra?*

Ultima quando dies, quâ non peccabi-

Da etiam Pater, peccata mundi tollere salutis proximorum incumbendo; sin aliter nequeo, certè prece & exemplo. Da denique, ut sancti per gratiam & charitatem nîl cogitemus, dicamus, agamusve, etsi per se levissimum, quod animante spiritu, ac honestate charitatis Christiformis, non evehatur ad sublimem æterni meriti dignitatem, nullam benè de te, de proximis merendi opportunitatem corrumpi sinamus. Sed probeamus semper quæ sit voluntas Dei bona, beneplacens, & perfecta, ut quod perfectissimum est, exemplo Filij tui semper amplectamur.

C A P U T V.

IESVS amabilis ob pulchritudinem.

§. 1.

SUSPICE sponsa sponsum tuum,
non carne tenus, aut verbo, seor-
sum

sum (quanquam utrovis modo pulchrum) sed verbum-carnem, utroque simul longè pulcherrimum (a) Spiritus enim ante faciem nostram Christus Dominus, sicut ait Propheta, & sub umbra, id est carne, ejus vivimus inter gentes. Utramque ergo tum carnis, tum verbi, sed hujus maximè formam suscipe. Ipsa pulchritudo & facies Patris Verbum, ipsa sanctitas & gratiæ plenitudo animæ pulchritudo, quanta inde efflorescit in carne forma? non illa quidem foemineam ad mollitiem fracta, sed augustæ plena majestatis, digna hospite Verbo, digna artifice Spiritu sancto, digna matre Virgine formosissima, digna officio conciliatricis animorum. In sermone inerat mira suavitatis & gratia: numquam, aiebant ejus auditores, sic locutus est homo sicut hic homo; in agendo summa decori observatio, & omnis populus gaudebat in universis quæ gloriose fiebant ab eo: Denique totus in ore,

(a) Thr. 4.

D

totus

totus in conversatione spirabat Deus. O quanto nunc pulchrior in cælo quam olim in Thabor ille rex gloriæ? Quicumque Jesum quæritis oculos in altum tollite, illic licebit visere Regem perennis gloriæ. Ecce tu pulcher es dilecte mi & decorus: Ecce tu speciosus forma præ filiis hominum, & præ choris Angelorum. Tu ille es agnus lucerna cælestis Jerusalem, cujus radiis beantur animæ ac fulgent. Accingere gladio tuo super femur humanitatis tuæ potentissime cordium dominator, specie carnis tuæ; & pulchritudine divinitatis tuæ intende prosperè procede & regna, quia etiam species tua digna imperio animorum.

(b) Quam pulcher es Angelis tuis Domine Jesu in forma Dei in die æternitatis tuæ, in splendoribus sanctorum ante luciferum genitus, splendor & figura substantiæ patris, & quidem perpetuus minimeque fucatus candor vitæ

(b) Bern. Ser. 45. Cant.

vitæ æternæ! Quàm mihi decorus es
Domine mi in ipsa tui hujus positione
decoris! Etenim ubi te exinanivisti,
ubi naturalibus radiis lumen indefi-
ciens exuisti ibi pietas magis emicuit,
ibi charitas plus effulsit, ibi amplius
gratia radiavit. Quàm clara mihi ori-
ris stella ex Jacob, quàm lucidus flos
de radice Jesse, quàm jucundum lu-
men in tenebris visitasti me oriens ex
alto! Quam spectabilis & stupendus
etiam virtutibus supernis in conceptu
de Spiritu, in ortu de virgine, in vitæ
innocentia, in doctrinæ fluentis, in
coruscationibus miraculorum, in re-
velationibus sacramentorum! Quam
denique rutilans post occasum sol ju-
stitiæ de corde terræ resurgis, quam
formosus in stola tua demum rex glo-
riæ in alta cœlorum te recipis! Quo-
modo non pro his omnibus omnia of-
fesa mea dicent: Domine quis similis
tibi?) Filii hominum usquequò gravi
corde terrena sapitis ut quid diligitis

vanitatem & quæritis mendacium?
quod in summa cuticula vultus leno-
cinantis insidiatur oculis vestris ut
animam deprædetur? Fallax gratia &
vana est pulchritudo. Et scitote quia
Dominus mirificavit in forma Dei, in
forma servi in omni pulchritudinis
genere Sanctū suum Christum Jesum.

§. 2.

E Ja anima mea sponsus procedat
nobis, amemus illum, aut si inve-
nerimus in eo aliquid fœdi non ame-
mus. (a) Ecce ipse invenit in nobis
multa fœda & amavit nos, si aliquid
invenerimus in eo fœdi non amemus.
Quia & hoc ipsum quod carnem in-
duit ut de illo etiam diceretur: Vidi-
mus eum & non habebat speciem ne-
que decorem; si consideres misericor-
diam qua talis factus est, & ibi pul-
cher est. Nobis ergo jam credentibus
ubique sponsus pulcher occurrat. Pul-
cher Deus Verbum apud Deum, pul-
cher in utero virginis ubi non amisit

(a) *Aug. ps. 44.*

divi-

divinitatem & sumpsit humanitatem. Pulcher natus infans Verbum quia & cum esset infans, cum surgeret, cum manibus portaretur Angeli laudes dixerunt, Magos stella direxit adoratus est in præsepi cibaria animalium mansuetorum. Pulcher ergo in cœlo, pulcher in terra, pulcher in utero, pulcher in manibus parentum, pulcher in miraculis, pulcher in flagellis, pulcher invitans ad vitam, pulcher non curans mortem, pulcher recipiens, pulcher in ligno, pulcher in sepulchro.) Et hunc tam pulchrum promissit Deus ostendere nobis. (b) *Et ostendam inquit, salutare meum, Christum meum. O sponsa qualis est pulchritudo dilecti tui, si promissit ostendere se tibi? Cogita omnia ista quæ vides pulchra, quæ amas ipse fecit. Si hæc pulchra sunt quid est ipse?*) Ergo ex istis quæ hic amas illum magis desideras, & contemnens ista illum dilige ut ipsa dilectione per fidem cor mun-

(b) Ps. 90.

D 3

deg

des & mundatum cor tuum inveniat
aspectus illius. (c) O Domine ostende
nobis misericordiam istam tuam, &
salutare tuū da nobis, da nobis Chri-
stum tuum, noverimus Christum
tuum, videamus Christum tuum, non
quomodo illum viderunt Judæi &
crucifixerunt, sed quomodo illum vi-
dent Angeli & gaudent) (d) Magnum
est quod visuri sumus quando tota
merces nostra visio est, & ipsum hoc
magnum visum est Dominus noster
Jesus Christus, ipse qui humilis visus
& tanquam leprosus, ipse videbitur
non per fidem sed per speciem. Atten-
dite ipsum Dominum, ô Christophili
qui hoc promisit in Evangelio dicens:
Qui diligit me diligetur à Patre meo,
& ego diligam eum: & quasi dicere-
tur ei, & quid ei dabis qui diligit te?
Ostendam, inquit, illi me ipsum. Desi-
deremus & amemus, flagremus si
sponsa sumus. Sponsus absens est, susti-
nea-

(c) Aug. Ps. 84. (d) Aug. Ps. 90.

neamus , veniet quem desideramus.
 Tantum pignus dedit , non timeat
 sponsa ne deseratur à sponso, non di-
 mittet pignus suum. Quod pignus de-
 dit? Spiritum sanctum : misit talia pi-
 gnora dimittet ille sponsus ? si non
 amaret talia pignora non daret. Jam
 amat. O si sic amaremus ! Majorem
 dilectionem nemo habet quàm ut ani-
 mam suam ponat quis pro amicis suis:
 amemus & imitemur , curramus post
 unguenta ejus, venit enim & olevit,
 & odor ipsius implevit totum mun-
 dum. Unde odor? de cœlo. Sequere
 ergo ad cœlum ô sponsa, si non falsum
 respondes cum dicitur sursum cor,
 sursum cogitationem , sursum amo-
 rem, sursum spem.) O pulcher & de-
 core nimis aspectu, quando veniam &
 apparebo ante faciem tuam! (d)

*Me trahit ille ferax sanctorum vultus
 amorum*

Ille verecundo vivus in ore pudor

D 4

Cum

(d) Sarbevius epig. 104.

*Cum mea mens sacra satiatur imagine
forme*

In desideriis pascitur ipsa suis.

*O Iesu mea sola fames, mea sola voluptas
Quam sapiis ipse, tui cui sapit ipsa fames!*

S. 3.

VERUM O sponsa hæc vox quidem
vox sponsæ est, sed veni ut pro-
bem te an cor habeas castum sponsæ
an non. (a) Si Iesus sponsus tuus dice-
ret tibi, peccare vis pecca, fac quic-
quid te delectat, quicquid amaveris in
terra tuum fiat, cui fueris iratus, in-
tereat, quem rapere volueris rapia-
tur, quem cadere cadatur, quem da-
mnare damnetur, quem possidere pos-
sideas, nemo tibi resistat, nemo tibi di-
cat quid facis, nemo noli facere quod
velis, nemo quare fecisti? abundant
tibi omnia ista terrena quæ concupisti,
& vive in illis non usque ad tempus
sed semper, faciem autem meam num-
quam videbis. O sponsa quid respon-
deres? Audio ingemiscentem audio

(a) Aug Ps. 27.

re-

meretricii oris , vel potius sterquilini conspectus , eritne Domine Jesu quo non emptam velimus pulchritudinis tuæ beatam visionem? Interim formabimus simulacrum pulchritudinis tuæ, in anima quidem , te diligendo, quia ipsa charitas est animæ pulchritudo.) (d) In corpore verò modestiam nostram quæ juxta Naziazenum typus Christi est , notam omnibus hominibus faciendo , ut qui timent te cum videbunt nos laudent te Domine Jesu. Amen.

C A P U T VI.

Iesus amabilis ob amorem nostri.

Vetus est, si vis amari ama, nec amor nisi amore emitur justè aut solvitur. Deus suis ipse amoribus æternum quam sufficientissimus, ineffabilis extasis impetu quasi raptus extra se amavit nos; & quidem prior, & ab æterno, & liberè; nec modo nil
pro-

(d) *Aug. Tr. 9. ep. Ioan.*